



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LXXX. Chrsitus in cruce verè Pastor bonus, pro ovibus suis dedit animam suam. An major charitas?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO LXXX.

Christus Pastor bonus pro ovibus suis in
cruce dat animam suam.

Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Jo. 10. 11.

I.

Multum quondam laboravit Jacob Patriarcha & pastor vigilantissimus, dum per annos viginti oves Labani socii sui pascebat, audiamus ipsum loquentem: *Die noctuque astu* Gen. 31. 40.
urebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.

Multum laboravit Moyses pascendo per quadraginta annos oves Exod. 3. 1.
Jethro in deserto, qui maluit ab aula Pharaonis ad caulam venire ovium, & cum populo Dei affligi, quam temporalis peccati habere jucunditatem. Hebr. 11. 25.

Multum laboravit David, dum oves patris sui pascebat, vitam pro tuendis ovibus suis contra irruentes leones & ursos exponere non formidabat: *Pascebat gregem servus tuus, & veniebat leo, vel ursus, & tollebat* 1. Reg. 17. 34.
arietem de medio gregis, & persequeretur eos, & percutiebat, eruebantque de ore eorum.

Plus laboravit Christus pastor bonus & solus bonus pro ovibus suis rationabilibus, pro quarum salute tam indigna pati, & crucis subire tormentum, omnemque sanguinem profundere non abhorruit, ut è luporum ac leonum infernalium faucibus eas eriperet: *Fecit quod* V. Beda in
monuit, subintrat hinc V. Beda, ostendit quod jussit, animam suam posuit pro Jo. 10. 11.
ovibus suis; ostensa est nobis de contemptu mortis via, quam sequamur, apposita forma cui imprimamur; primum nobis est exteriora nostra misericorditer ovibus eius impendere, postremum verò, si necesse sit, etiam mortem nostram pro eisdem ovibus ministrare; qui non dat pro ovibus substantiam suam, quomodo pro his daturus est animam suam? Adverte hoc, & Pastor animarum.

2. Voluit autem Christus, pastor bonus, nasci in stabulo & pauperissimo pastorem tugurio, natus reclinari in praesepe, ex quo foenum manducabant oves, & habere mox post nativitatem suam eosdem pastores pauperulos, tanquam aulicos suos dilectissimos praesentes, latius-

S. Aug. ff
l. 3. c. 2.

Luc. 2. 8

Luc. 15. 5.
S. Eucher.
hom. 2. de
Syn. b. Nicet.
in orat. 42.

Isa. 9. 6.
Theoph. in
Luce 23.

Jo. 19. 30.

Isa. 53. 6.

Glossa hic.

S. Ambr. in
Luce. 15.

latiusque suum stipantes, causam assignat Divus Augustinus: *Quia Christus erat agnus pro salute mundi offerendus. ideo congrue ipse primò pastoribus agnorum apparuit, qui ipsum humiliter ut DEum & hominem adoraverunt, & per ejus gratiam eximia sanctitatis evaserunt viri: Pastores erant in regione eadem &c.*

Porro Christus Dominus summoperè delectatur hoc titulo pastoris, hinc parabolam illam de ove perdita & sollicito pastore eam in deserto spinoso summo cum labore quærente, orbi proposuit, quam tandem inter dumeta inventam humeris suis imposuit, & ad ovile suum gaudens reportavit: *Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos &c.* Tunc, observat S. Eucherius, Nicetas & alii, Bonus ille Pastor hanc ovem inventam (animam tuam peccatricem) humeris suis imposuit, quando cruentis & exulceratis humeris crucem portavit, & in ea pro illius salute mori dignatus est: *Isdem enim humeris eam suscepit, quibus & crucis lignum tulit.* O magnum pietatis opus! tunc verificatum fuit illud Isaïæ: *Cujus principatus super humerum ejus.* Supra quod Theophylactus: *Nam principatus Domini & Regnum ejus est crux.*

3. Audiamus plura de optimo & divino Pastore. Observat S. Joannes dilectus illius discipulus & intimus Secretarius, tanquam testis oculatus, quòd in cruce moriens JESUS priùs caput suum inclinaverit, & postea spiritum Patri tradiderit: *Et inclinato capite tradidit spiritum.* Et quare hoc? nunquid docet experientia, quòd homo primùm post naturalem mortem inclinet caput, utpotè animâ & spiritibus vitalibus destitutum, Christus autem priùs inclinabat caput, antequàm spiritum Patri consignaret?

Adverte, anime mi, qui grave supra dorsum suum portat onus, caput inclinare & deprimere assolet; Christus autem gravissimum portabat onus, ovem videlicet perditam, & nunc in cruce inventam, unde Isaïas: *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: Et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Idcirco non miremur, quòd tanto peccatorum nostrorum pondere prægravatus, caput inclinaverit: *Ovem, ait Glossa, in humeris posuit, qui humanam naturam suscipiens, peccata nostra ipse portavit, unde humeri Christi crucis brachia sunt, ibi peccata nostra deposuit.* Juvat hic quoque audire S. Ambrosium: *Humeri, inquit, isti sunt brachia crucis. in hos humeros ovem perditam imposuit, quia ibi peccata nostra portavit.* O anima, erige te, & considera, quanti salus tua steterit.

4. Consideremus modò, quomodo & qualiter bonus pastor debeat esse instructus. Imprimis requiritur, ut bonam togam habeat, quâ indutus varias possit sufferre tempestates; Toga hæc humanitas Christi

Christi fuit, regens ejus divinitatem; heu quam rigidam & cruentam hæc tota sustinuit tempestatem? *Semetipsum*, ait Apostolus, *exinani-Philipp. 2. 7-*
vit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus
ut homo &c.

5. Pastor bonus de baculo pastoricio sibi providet, qui ordinariè ferreis clavis & annulis est præfixus atque instructus, quo regere & ter-
rere solet oves à via & pascuis declinantes, ne præda luporum fiant. Davidem consule; *Et tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus* 1. Reg. 17. 40.
suis. Baculus Poni nostri Pastoris crux est, ferreis quoque clavis instru-
cta, quâ oves suas errantes etiamnum regit ac terret, & ne præda dia-
boli fiant, subinde hunc baculum inter eas projicit, ac calamitatibus afficit, ut errantes resipiscant, & à malo declinent &c.

6. Pastor bonus, ubi oves suas ad pascua vult educere, cornu inflare solet, ad cujus vocem se parant oves, atque Pastorem suum, quocumqueierit, sequuntur: *Et cum proprias oves emisserit, ante eas vadit, &* Jo. 10. 4.
oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Vide, anima Christiana, opti-
mum Pastorem tuum, quomodo in vita sua cornu suum inflaverit, hoc est, Verbum Dei prædicaverit, ac tandem in cruce ultima septem
verba tibi intimaverit. 1. *Pater ignosce illis &c.* Fac secundum exemplar.
2. *Hodie mecum eris in paradiso* Si secutus es errantem, sequere poeniten-
tem. 3. *Ecce Mater tua;* cui te meliùs commendes? 4. *Deus, Deus meus*
ut quid dereliquisti me? En Christus queritur se derelictum, & tu solatia
quæres? 5. *Sitio,* tuam nimirum salutem, & tu eam naufees? 6. *Con-*
summatum est; sic omnia tua bona & mala brevi consummabuntur. 7.
In manus tuas commendo spiritum meum. Disce exemplo Christi quotidie
animam tuam in manus Patris cœlestis commendare. O felix ovicula,
qua audit ultimam vocem hujus sui divini Pastoris & crucifixi
Amoris!

7. Pastor bonus in meridiano æstu oves suas subter umbram opa-
cam ducit, ut à solis protegantur ardore. Ita fecit Moyses: *Cumque* Exod. 3. 1.
minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb. Ecce fidelif-
simum Pastorem tuum JESUM, qui & tibi sub arbore SS. Crucis suæ
operatam paravit umbram, hîc anima Christiana ab incurfû & dæmo-
nio meridiano tuta poteris quiesce, dic cum Psalte regio præsertim
tempore tentationis: *In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.* Psal. 56. 2.

8. Pastor bonus peram ad latus gestat, in qua panem & salem ab-
scondit, quo obsonio se & oves ægrotantes reficit. Aspice crucifixum
Pastorem tuum, quomodo peram apertam ad latus gerat, hoc est
apertum & crudeli lanceâ transfixum cor suum, ex quo prodiit Panis
ille vivus ac cœlestis (SS. Eucharistia) quâ pascere solet oviculas
suas,

304 *Consideratio LXXX. Pastor bonus in cruce pro ovibus &c.*
suas, & ægrotantes animas sale cœlestis sapientiæ reficit, ne hic in
via deficiant.

9. Sed oportet, ut & nos ovium naturam imitemur. 1. Ovis
dum surgit, vel decumbit, semper genua flectit, quasi Deo ac Creatori
suo gratias ageret. Sic faciat ovis rationalis manè ac vespere, & præ-
fertim in templo in præsentia Summi Pastoris. 2. Ovis seu agnus et
millenis aliis ovibus matrem suam ex balatu agnoscit, unde magno de-
siderio ad illam recurrit, ut lacte pascatur. Mater nostra est B. Virgo
& Mater Dolorosa, quam moriens Pastor Bonus in cruce nobis specia-
liter recommendavit: *Ecce Mater tua.* Cole ac venerare illam ut Ma-
trem, & obviabit tibi quasi Mater honorificata. 3. Ovis patiens est, & non
habet redargutionem. Disce patientiam, quia necessaria tibi est ad re-
portandas repromissiones, & in patientia tua possidebis animam tuam.
4. Ovis liberalis est, subministrat enim tibi lanam & lac, ac tandem se-
ipsam in victimam; unde S. Martinus Ep. videns ovem recens tonsam,
ad discipulos suos dixit: *Ecce hæc paupercula ovicula observavit præ-
ceptum Domini, dum unicum tunicam (pellem) sibi reservavit, & al-
teram homini dedit ad conficiendum vestimentum.* Disce veram &
sinceram charitatem erga proximum. 5. Ovis timida est, quia tota in-
ermis, & ad quemlibet pavet lupi insidiantis occursum, unde tempore
talibus tentationis ad suum recurrit pastorem. Esto & tu talis, cum lupus
tartareus tibi parat insidias, curre ad Pastorem animarum cruci suffi-
xum; ita S. Augustinus: *Cum diabolus mihi parat insidias, curro ad vulnere
Christi.* 6. Ovis pacifica est & tranquillæ animi, mitis, ac prorsus ignara
nocendi. Imitare & hanc virtutem, pacem dilige, pacem sectare, &
DEus pacis erit tecum. 7. Ovis vili pascuo contenta est, pinguiora
nocent. Sis & tu, ô mi Lector, tuâ sorte contentus, etiamsi te DEus
in loco vilis pascui constituerit, proinde dic sæpius cum Sapiente, *Men-
dicatam & divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria.* 8. Ovis,
si à pastore suo & reliquo grege longius distrahitur, manifesto se expo-
nit vitæ periculo; Davidem consule errantem, & nunc ad frugem re-
deuntem: *Erravi, inquit, sicut ovis quæ periit: quare servum tuum, quia man-
data tua non sum oblitus.* O bone JESU, princeps pastorum! erravi & ego,
sicut ovis quæ periit, doleo animum, quia te offendi, ô Summum Bo-
num! quære, obsecro, hanc oviculam tuam immenso sangui-
nis tui pretio redemptam, & dirige me in viam
salutis æternæ.

Eccli. 15. 2.

Prov. 30. 8.

Psal. 118. 176.

CON.